

Hæc extincta (2) Non à termino *ad quem*, quia sterilis postea facta est fecundissima; sed à termino *à quo*, quia in principio N. T. paucos habuit filios, ut Zachariam, Hannam, Simeonem, Mariam virginem, Josephum & paucos alios. Hanc sterilem Ecclesiam Esaias, in Spiritu prævidens fecunditatem Ecclesie Christianæ N. T. hortatur ad lætitiã spiritualem, cujus *causa impulsiva est* multitudo filiorum Jerusalem sublimis, vel Ecclesie Christianæ N. T. Hæc enim per clamorem Apostolorum in Universo mundo, ita crevit, ut numerum filiorum Jerusalem terrestris, vel Synagogæ Judaicæ, longissimè superaverit, cum non tantum gentes, idolis & Ethnicismo relicto, sed etiam Judæi, Jerusalem terrestris desertã, Hierosolymæ spirituali, vel Ecclesie Christianæ, sese frequentissimè associarunt. Ipse *Filius Dei* clamavit in templo Hierosolymitano, & in terrã Judæorum, *Johannes Baptista* clamavit in deserto: *Ego sum vox clamantis in deserto*, *Petrus* apud Judæos, *Paulus* apud gentes, Reliqui Apostoli passim clamaverunt in variis locis. Hodie verò clamant Verbi Ministri & Doctores Ecclesie, ut multiplicentur Filii Jerusalem sublimis, filii Saræ liberæ. De hac fecunditate Ecclesie Christianæ N. T. vel filiorum Saræ, *Johannes* in Apocalypsi, c. VII. 9. seqq. loquitur.

Allegoricã interpretatione historię de Agar & Sarã absolutã, Apostolus, per Apostrophem, à Judaizantibus, (qui volebant esse sub lege; per historiam autem de Agar & Sarã, ejusquẽ allegoricã interpretatione ita erant convicti, ut nihil contra illam excipere, vel opponere potuerint) sese iterum convertit ad Galatas, & ex allegoricã interpretatione, seq. m. argumentatur.

*Galatæ Credentes non sunt servi, non filii Agar,
Non filii Jerusalem terrestris, vel ex Monte Sina;*
Sed secundum Isaac, promissionis Filii.

*E. Galatæ Credentes non sunt sub lege, vel servitute legali; sed
sub promissione gratuita vel Evangelicã.*

Antec: proponit, & probat suo, omniumquẽ Fidelium Galatarum,